



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

Cap. 1. De objecto iustitiae videlicet ius seu iustum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

SECTIO V.

De

Iure & Iustitia.

TRACTATUS I.

De

Quibusdam generalibus Principijs Iuris.

CAP. I.

De Obiecto Iustitia, quod est Ius siue Iustum.

Ius, siue iustum interdum accipitur, ut idem sit, quod legitimum, id est, ad æquatum. conforme legi; interdum, ut idem sit, quod æqualitas alteri debita, & hoc iustitiæ particularis, ac propriè dictæ obiectum est.

Iustitia moderatur hominis actiones in ordine ad alterum, sed temperantia & fortitudo in Ordine ad ipsum operantem.

NB. Iustum siue æquum, quod dixi esse obiectum iustitiæ, non est æqualitas, sed æquum debitum, ortum habens ex aliqua obligatione voluntaria, vel involuntaria. Quare si duo Mercatores ad nundinas profecti sint, quorum vnus lucrum cepit, alter damnum tulit, inæqualitas inter ipsos est, sed non tollenda per iustitiæ æqualitatem, nisi vel societatis pactio & obligatio processerit, vel ille huic causa iniusti damni extiterit. Iterum: Si tu mihi equum tuum concessisti, ex quo lucrum mihi accessit, tibi contra aliquid lucri decessit, tunc si pactū reciproci ante-

ante-

antecefferat, per iustitiam ad æqualitatem redigendum, compensando tibi defectum ex meo commodo.

- 3 NB. Ius improprie varie accipitur. 1. Pro facultate aliquid legitimè agendi, V. C. ius habere sepulchri, ius habere ad hæreditatem. 2. Pro Iudicis sententia & pro Lege seu scientia legis. Ulpian. Ius est ars boni & mali.

C A P. II.

De Iustitia generali seu Legali.

- 1 Iustitia generalis versatur circa omnia virtutum opera ob Reipub. felicitatem, inde orta, quod homo in humana societate viuens, comparatur vel ^{ut} pars ad partem, vel ^{ut} ciuis ad ciuem, vel tanquam pars ad totum, ^{ut} ciuis ad Communitatem.

Iustitia generalis sic dicta, quia omnes virtutes morales in se comprehendit, non quidem vniuersalitate prædicationis, (vt animal continet species animalium) sed vniuersalitate causæ, (qua ratione se habet sol ad alia corpora, quæ ipsius virtute illuminantur, generantur, & conseruantur) quatenus reliquis virtutibus ipsa imperans, illarum actiones ad Reipub. prosperitatem refert.

Iustitia hæc generalis appellatur etiam Legalis quia versatur circa Legem, seu iustum legitimum. Etenim in Reipubl. legibus benè constituta, omnia omnium virtutum officia præcipiuntur. Et in hac significatione nomen Iuris accepit Iureconsultus in L. Iustitia, ff. de Iust. & Iure. Iuris præcepta sunt; honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. Nam Resp. triplici iure nititur; naturali æquitate, scripta lege, & Consuetudine vetusta.

Opera